

vicissitudine succedere tristitiam laetitiae, laetitiam tristitiae, ut ad id me convertam quod hodierno die nescio quo modo confirmat mihi et exhilarat animum. Quid enim? Nonne liberalissima et humanissima vicissim voluptate afficere me debet insignis et rara Vestrum omnium erga eam quae alma quondam studiorum Vestrorum mater fuit, caritas, amor, pietas? Non ego qui ultimus fatali quodam et ineluctabili casu hujus Lycei rector fui, vehementer laeter et gaudeam quod vivit in Vestrum omnium animis communis Vestrae matris quamvis deletae et extinctae memoria, quod praeceptores Vestri, quod mutus hic locus ubi instituti et eruditi estis, grata cum memoria Vobis in mente versantur? quod quam multi hac aetate ne vivis quidem praestant pietatem, ea Vos mortuam jam dudum parentem Vestram prosequi, ei justa facere, ei inferias ferre, quasi conspiratione facta theologi, jureconsulti, medici decrevistis? Quod denique haud paucos inter Vos videre mihi licet carissimos meae ipsius disciplinae alumnos qui studiorum suorum in his spatiis me quondam habuere ducem et moderatorem? Et quantum Vestri erga me amoris documentum mihi dedistis eo quod me interesse his solennibus et non solum interesse sed etiam rite auspicari ea benevolentissime voluistis! Itaque mihi credite, nihil gratius, nihil exoptatius mihi contingere potuit quam una Vobiscum hodiernum diem concelebrare candidiori quadam nota in fastis meis insigniendum. Sed jam peregissem mihi videor praefandi et prologum quasi agendi munus. Quod igitur reliquum est, ceteros Vestrum qui ad dicendum prodituri sunt, ut prodeant etiam atque etiam rogatos volo.

Dixi.

